

LXXII, articulo I, dubio VII et VIII, et ultimo, ubi latius tractatur, et quæ hic desiderari possunt ibi reperientur.

## ARTICULUS IV.

*Utrum nostræ justificationis, et gratiæ Christus sit causa principalis; an vero solum instrumentalis?*

I. In hac difficultate magister Medina in hoc articulo primo dubio ultimo, conclusione VIII, tenet partem affirmativam, videlicet Christum Dominum causam esse principalem gratiæ, secundariam tamen. Cui sententiæ multum favet Cabrera hic disp. II, conclusione I et II. Et quamvis aliquid recedat a Medina, ponit tamen proprietates in Christo respectu causalitatis nostræ gratiæ, quæ conveniunt causæ principali, secundum quod ab instrumentali distinguitur. Hujus sententiæ fundamenta inferius adducenda sunt.

II. Secunda sententia est negativa asserens, quod Christus Dominus non est causa principalis nostræ gratiæ, sed solum instrumentalis, quæ communissima est inter theologos; et illam inter alios tenet Suarez disp. XXXI, sect. IV, ubi affirmat sententiam primam jam relatam magistri Medinae esse improbabilem, omnino falsam, et temerariam. Cæterum magister Vincentius in relectione de gratia Christi, quæst. VI, pagina 830, conclusione II; et Zumel 1-2, quæst. CXII, art. I, disp. II, conclusione III, quamvis non assentiant illi sententiæ, liberant tamen illam a censura, quam illi imponit Suarez. Imo magister Cabrera disp. II, §. IV, num. LIV, non solum excusat Medinam, sed etiam ait censuram datam a Suarez esse rigidam, et suo auctore indignam.

## PRIMA CONCLUSIO.

III. Nullatenus asserendum est humanitatem Christi esse causam principalem nostræ gratiæ. Hæc conclusio explicanda est antequam probetur. Et quidem causam principalem alicujus effectus asserunt aliqui esse in duplici differentia; quædam enim est, quæ agit per virtutem propriam, et connaturalem, ut quando homo generat hominem, et ignis ignem; altera autem est, quæ solum significat causam sustentantem se in formam communicatam ab extrinseco, quæ principaliter est activa effectus, sicut aqua calida sustentat in se formam caloris, qua principaliter calefacit. Accepta ergo causa principali primo modo asserit magister Medina Christum secundum humanitatem esse causam principalem nostræ gratiæ: accepta vero in secundo docet Cabrera, discedens in hoc a Medina, Christum ut hominem esse principalem causam gratiæ per formam ab extrinseco sibi communicatam, videlicet per suam gratiam. Et contra utrumque auctorem ponitur nostra conclusio universalis per illud verbum nullatenus.

IV. Quo supposito conclusio nostra, quæ communissima est omnium doctorum (duobus illis exceptis) probatur primo ex D. Thoma multis in locis; illam enim tenet supra quæst. VI, art. I ad primum, et infra quæst. LXII, art. V, et quæst. LXIV, art. III, et 1-2, quæst. CXII, art. I ad primum, et IV contra gentiles, cap. XLI, circa finem, et de veritate quæst. XXVII, art. III ad septimum, et quæst. XXIX, art. IV ad primum, et ultimum. Cum D. Thoma convenit Durandus, Paludanus, D. Bonaventura, Driedo, et alii quorum men-

tionem facit Suarez disput. XXXI, sect. IV.

V. Secundo, probatur conclusio, hac ratione, quia gratia, et effectus ejus soli Deo tribuuntur in sacra Scriptura, ut patet Psalm. LXXXIII: *Gratiam, et gloriam dabit Dominus*: et Psalm. LXVII: *Deus noster, Deus salvos faciendi*; et hoc ipsum sæpissime invenitur apud sanctos patres; ergo tenendum est Deum solum tamquam principalem causam gratiam nostram causare.

VI. Nec sufficit huic rationi respondere, quod solus Deus est prima causa principalis nostræ gratiæ, quia alias secundum istam expositionem nihil speciale tribueretur Deo in causalitate nostræ gratiæ, atque in causalitate aliarum rerum: consequens dici nequit; ergo. Probatur sequela, quia etiam omnium aliarum rerum creaturarum, quæ habent suas causas principales secundas, Deus ipse est causa principalis prima; ergo nulla esset differentia.

VII. Nec etiam sufficit si cum Cabrera respondeas, quod solus Deus est causa principalis gratiæ, quia solus ipse causat ipsam propria, et connaturali virtute, at humanitas Christi causat gratiam ut causa principalis, non tamen per propriam, et connaturalem formam, sed extrinsece sibi communicatam, et ideo solum Deum dici causam principalem gratiæ. Hoc, inquam, non sufficit, quia juxta expositionem istam, etiam solus Deus diceretur causa principalis operationum supernaturalium quæ sunt in nobis; actus scilicet fidei, et charitatis; nos autem non diceremur principales causæ horum actuum, quia ad illos non concurrimus per formas nobis connaturales, sed extrinsece communicatas; habitus namque fidei, et charitatis connaturales non sunt alicui creaturæ, et tamen certum est nos esse causas principales omnium horum

actuum, si quidem nos credimus, et amamus.

VIII. Confirmatur hoc ipsum, quia D. Thomas infra quæst. LXIV, artic. I, et 1-2, quæst. CXII, art. I, et quæst. XXVII de veritate, art. III, expresse asserit, quod solus Deus est causa principalis gratiæ, et quod humanitas Christi, et sacramenta sunt tantum causæ instrumentales.

IX. Quod si dicas D. Thomam velle docere, quod omnis causa principalis secunda appellatur instrumentalis causa respectu Dei, ut constat 1-2, quæst. I, art. 11, contra hoc est, quia licet omnis causa principalis dicatur instrumentalis respectu Dei, quia agit ut mota a Deo, tamen D. Thomas loco citato expresse distinguit de causa principali, et mere instrumentali, etiam secundaria; et tamen affirmat humanitatem Christi non esse causam principalem, sed esse solum causam instrumentalem gratiæ.

X. Tertio, probatur conclusio ratione D. Thomæ quam tradit 1-2, quæst. CXII, art. I, et super epistolam ad Ephesios, capite primo, quia solum illud, quod est tale per essentiam producit ut causa principalis physica, sive primaria, sive secundaria id quod est tale per participationem; sed humanitas Christi non habet per essentiam naturam Dei; ergo non potest ut causa principalis producere participationem divinæ naturæ, quæ est gratia, nec facere filios Dei adoptivos similes ipsi Deo.

XI. Nec valet instantia hujus rationis, quæ adduci solet de ferro candenti, et ignito, quod quidem non est calidum per essentiam; et tamen facit calidum illud, cui applicatur; ergo licet gratia, et natura Dei non conveniant per essentiam humanitati Christi, sufficit quod per participationem habeat gratiam, ad hoc ut possit illam principaliter producere in nobis, et nos facere



deos per participationem. Hoc, inquam, non valet, quia D. Thomas ibidem dicit esse necessarium, quod solus Deus deificet communicando consortium divinæ naturæ per quamdam participationem similitudinis, sicut est omnino impossibile, quod aliquid igniat nisi solus ignis.

XII. Ubi obiter notandum est, hoc differre inter accidentia communia, et inter naturam propriam alicui, quod accidentia communia, quia secundum suam rationem non possunt esse propria alicui naturæ habenti illa per essentiam, inde fit consequens, quod habens talia accidentia, si sunt activa, possit ea communicare aliis; natura vero propria, aut accidens proprium alicui communicari nequit, ab habente talem naturam per essentiam, et ideo D. Thomas non dixit, quod solus ignis poterat calefacere, quia calor est accidens commune, sed dixit solus ignis potest ignire, quia ignire est dare naturam ignis, quæ convenit per essentiam tali speciei. Gratia autem est quædam supernaturalis natura, a qua suæ propriæ passiones dimanant, et est formalis participatio divinæ naturæ, ut optime ostendit magister Vincentius pagina 10 et 11; ergo solum potest communicare illam tamquam causa principalis, qui per essentiam habet naturam divinam, cujus gratia est participatio. Et propterea 1 Joan. 1 gratia vocatur semen Dei, quia per illam participamus naturam Dei; semen autem (ut manifestum est) tantummodo causatur principaliter ab habente talem naturam per essentiam.

XIII. Confirmatur, quia adoptare in filios Dei eos, qui recipiunt gratiam est proprium munus illius, qui ut causa principalis physica causat illam; sed Christus ut homo hoc non habet, nec potest adoptare aliquos in filios Dei; ergo nec esse causam principalem gratiæ. Major

patet; tum, ex D. Augustino epistola cxxiv, et libro III contra Faustum, cap. III; tum etiam, quia gratia habet in nobis hunc effectum veluti formalem, ut efficiat nos filios Dei adoptivos, et ex consequenti confert nobis jus ad hæreditatem Patris. Minor vero probatur; tum, ex D. Thomas IV contra gentiles, capite XVII, ratione XXIII, ubi ait, quod adoptare in filios Dei non potest esse opus alterius nisi Dei, quia creatura non efficitur filius Dei nisi per gratiam; tum etiam, quia D. Thomas infra quæst. XXIII, art. II ad primum ait, quod adoptare aliquem in filium est proprium illius, qui habet naturam qua possit generari filius naturalis, nam filius adoptivus constituitur loco filii naturalis; Christus autem ut homo non habet naturam divinam, qua possit generare filium naturalem; ergo non potest adoptare filios Dei.

XIV. Quarto, probatur conclusio ratione quam tradit D. Thomas infra quæst. LXIV, quia omnis causa principalis physica, sive primaria, sive secundaria debet per suam virtutem esse immediate conjuncta passo; sed humanitas Christi non sic conjungitur animabus nostris, in quibus causat gratiam; ergo non est causa principalis physica ejus. Major est ita certa, ut etiam in Deo debeat necessario verificari (de quo dici solet 1 part. quæst. VIII, art. II.) Minor autem probatur; tum, quia humanitas Christi non est ubicumque sunt animæ nostræ; hoc enim dicere esset jam incidere in hæresim Ubiquistarum; tum etiam, quia ut ibidem docet D. Thomas et quodlibeto III, art. VIII, et IV contra gentiles, cap. XVII, ratione XV, intus illapsus in animabus est proprius solius Dei, atque adeo humanitas Christi cum hujusmodi illapsum habere nequeat, nec etiam in animabus poterit causare gratiam ut

causa principalis, sed solum ut causa instrumentalis.

XV. Confirmatur, quia Joannis primo dicitur: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, quod idem est atque dicere, quod per gratiam in filios Dei generamur, ut explicavit D. Jacobus asserens cap. II: *Voluntarie genuit nos*; sed generatio debet esse a principio conjuncto ipsi genito, ut ex definitione generationis constat; ergo cum solus Deus possit intime per suam virtutem conjungi animabus nostris, solus ipse poterit ut causa principalis causare in illis gratiam.

XVI. Quinto, probatur conclusio, nam per infusionem gratiæ immutatur voluntas nostra, et movetur realiter; sed solius Dei est immutare et movere voluntatem hominis, ut causa principalis; ergo solus Deus potest causare principaliter gratiam justificantem in nobis. Major probatur, nam ideo D. Augustinus libro de natura et gratia, cap. XXIII, et libro de gratia et libero arbitrio, capite XVII ait, quod per gratiam præparatur hominis voluntas ut velit bonum. Minor probatur ex D. Thomas 1-2, quæstione IX, articulo primo, ubi ait omnem motum voluntatis esse illi naturalem, et quod motum naturalem solum potest causare, qui causat naturam voluntatis. Qua ratione idem D. Thomas in hac tertia parte, quæstione XLIV, articulo primo ad primum et tertium, et quæst. LXIV, art. III, ait immutationem voluntatis per justificationem, et infusionem sapientiæ tribui Christo solum ut est Deus, tamquam agenti principali. Et hac ratione utitur D. Thomas quæstione XXVII de veritate, art. III in corpore, ratione secunda.

XVII. Quod si respondeas huic rationi cum magistro Medina voluntatem humanam non immutari a Christo ut homine immediate, sed

mediis habitibus gratiæ, fidei, charitatis, et aliarum virtutum, quod non est inconveniens.

XVIII. Contra hoc est, quod gratia, et virtutes infusæ realiter immutant voluntatem ut certum est; ergo quicumque fuerit causa principalis efficiens gratiæ, et charitatis, et cætera erit etiam principalis causa physica immutationis voluntatis humanæ, atque adeo si semel daretur, quod haberet Angelus virtutem ad producendum physice in homine aliquem habitum supernaturalem, consequenter dicere tenebimur habere potestatem immutandi voluntatem nostram principaliter, sicut de instrumentis dicimus instrumentaliter illam immutare.

XIX. Minus etiam consequenter loquitur Cabrera in responsione ad tertium, ubi postquam semel concessit, quod immutare voluntatem humanam, ut causa principalis tamquam a qua proficiscitur gratia, est ita proprium Dei, quod ipse credat non posse communicari creaturæ alicui, postea addit hoc ipsum posse communicari Christo ut homini, ut per gratiam suam animas nostras immutet ratione unionis hypostaticæ.

SECUNDA CONCLUSIO.

XX. Christus ut homo non est causa principalis secundaria physica donorum supernaturalium. Hæc est conformis præcedenti, et est communis inter sanctos patres, qui sæpe numero asserunt, quod Christus solum ut est Verbum divinum habet dare ut causa principalis dona Spiritus sancti. Inter alios autem D. Augustinus primo de Trinitate, cap. XIV ait, quod Christus non in quantum homo, sed in quantum Deus dat auctoritative Spiritum sanctum; de quo etiam videatur



D. Thomas supra quæstione VIII, art. I ad primum, et D. Cyrillus lib. XI in Joannem, cap. XXV, ubi ait, quod numero XI dicitur, quod Deus accepit de spiritu Moysi, et dedit illum septuaginta senioribus, ut significaretur, quod nullus præter Deus dat principaliter Spiritum sanctificationis.

XXI. Et hujus rei est sufficiens ratio, quia Christus ut homo non mittit spiritualiter, et invisibiliter Spiritum sanctum tamquam agens principale physicum, eo quod Spiritus sanctus non procedit a Christo ut homine; ergo esse non potest causa principalis donorum Spiritus sancti, qui datur nobis in illis juxta illud Pauli ad Roman: V. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

XXII. Deinde probatur conclusio, quia dona Spiritus sancti solum sunt connaturalia Deo; ergo humanitas Christi non potest esse causa physica principalis eorum. Patet consequentia, quia causalitas donorum supernaturalium, sicut et causalitas gratiæ solum potest esse in illo principaliter, cui connaturalia, et propria sunt talia dona. Pro ista conclusione etiam faciunt omnes rationes, quas adduximus pro prima conclusione. Et confirmari possunt ex D. Thoma hic ad tertium ubi ait, quod anima Christi solum instrumentaliter tribuit aliis virtutem faciendi miracula. Ex quo recte videtur sequi in ejus doctrina idem esse dicendum de aliis donis supernaturalibus.

## TERTIA CONCLUSIO.

XXIII. Christus Dominus ut homo, est causa physica instrumentalis tam gratiæ, quam donorum supernaturalium, et in illo genere

excellentissima. Hæc conclusio hic ponitur ad complementum doctrinæ; de illa enim jam ex professo egimus in hoc articulo, dubio secundo, conclusione prima. Ibi videantur rationes pro illa. Secunda autem pars conclusionis indubitata etiam est apud sanctos patres, et theologos; ideo enim dicitur Christus caput Ecclesiæ, et habuisse supra illam potestatem excellentiæ, atque adeo fide ejus justificamur, et per sacramenta ab ipso instituta, a quo ceteri ministri potestatem accipiunt. Quare ratione hujus excellentiæ ipse Christus ut homo justificare poterat sine sacramentis, ut de facto multoties fecit.

## QUARTA CONCLUSIO.

XXIV. Christus Dominus ut homo fuit causa principalis moralis gratiæ nostræ, et omnium donorum supernaturalium. Hæc conclusio est magis communis inter theologos, quam tenet magister Medina hic dubio ultimo, conclusione tertia, et eam tradit D. Thomas multis in locis, præcipue IV contra gentiles, cap. LXXIV, et in tertio sententiarum, dist. XIX, quæst. I, artic. I, quæstiuncula II, et in IV, dist. V, quæst. II, artic. II, quæstiuncula II, ubi ait Christum Dominum esse causam principalem nostræ gratiæ secundum quod homo erat; sed juxta doctrinam D. Thomæ, ut supra vidimus, nequit dici causa principalis physica; ergo dici debet in ejus doctrina causa principalis moralis.

XXV. Et hoc ipsum deduci potest optime ex loco proxime citato ad secundum argumentum, ubi ait D. Thomas, quod orans ut sic est causa principalis moralis; sed multa fecit Christus orando prius Patrem ut constat ex evangelica historia, præcipue Joannis VI et XI; ergo

erat causa principalis moralis illorum. Sæpe numero etiam Christus ut homo imperando operabatur miracula, ut quando imperavit ventis, et mari, et alibi imperavit febrim; ergo horum miraculorum erat causa principalis moralis, quamvis in genere physico solum esset causa instrumentalis.

XXVI. Secundo, probatur conclusio, quia Christus Dominus in quantum homo est sacerdos offerens sacrificium pro peccatis nostris; sed tale officium non potest ut sic Deus exercere per seipsum; ergo convenit Christo ut homini primo, et principaliter. Minor patet ex D. Paulo ad Hebræos V, ubi affirmat sacerdotem debere esse medium inter Deum et homines, et offerre primum se ipsum Deo; Deus autem nihil horum facere potest.

XXVII. Tertio, probatur ab inconvenienti, quia si Christus Dominus ut homo orando, et satisfaciendo, aut merendo esset solum causa instrumentalis moralis gratiæ nostræ, sequeretur Deum ut sic esse causam principalem moralem merentem, orantem, et satisfaciendam: consequens est omnino impossibile, cum omnia ista necessario requirant inferioritatem in subjecto exercente tales operationes, quod Deo nequit competere; ergo. Probatur sequela, quia omne instrumentum ea ratione, qua instrumentum est, habet in illo genere causam principalem proportionatam a qua elevetur, et moveatur (ut de causalitate physica agentes supra diximus) ergo si Christus ut homo in genere moris merentis, et orantis est tantum causa instrumentalis, debet dari altera causa superior in illo genere moris, quæ principaliter oret et mereatur, quæ nulla alia esse poterat nisi Deus.

XXVIII. Confirmatur, quia nos ut causæ principales morales mere-

mur augmentum gratiæ nostræ, et beatitudinem nostram, et impetramus alia dona a Deo precibus, orationibus; ergo multo a fortiori dicendum erit, quod Christus sit causa principalis meritoria nostræ gratiæ, et donorum supernaturalium, cum nos virtute, et meritis Christi habeamus gratiam, et charitatem, quibus meremur.

XXIX. Quod si contra objicias D. Thomam 2-2, quæst. CLXXVIII, articulo primo ad primum ubi dicit, quod sancti aliquando ex potestate miracula exhibent, aliquando ex postulatione, utrobique tamen modo Deus principaliter operatur, qui utitur instrumentaliter, vel interiori motu hominis, vel ejus locutione; ergo sentit D. Thomas in omni genere tam physico, quam morali Deum esse causam principalem gratiæ, et donorum supernaturalium, et qui meretur, et impetrat, solum esse causam instrumentalem. Respondetur primo cum domino Cajetano ibidem, quod D. Thomas vocat instrumentum quancumque causam secundariam subordinatam Deo, quamvis illa sit causa principalis merendi, quia ibi intentum sanctissimi doctoris erat solum, quod faciens miracula est causa secundaria subordinata primæ, non tamen quod quando concurrat in genere moris sit proprie instrumentum, atque adeo quamvis Deus sit prima causa miraculosi effectus, non tamen potest esse prima causa moralis orans, et impetrans, ut factum aliquod miraculosum fiat.

XXX. Secundo, responderi potest, quod ibi (ut patet ex littera adducta) non loquitur D. Thomas de Christo Domino, sed de aliis sanctis, quorum obsecrationes, et orationes non habent efficaciam illam, quam habent orationes Christi, nec de condigno possunt mereri alii; bene tamen Christus, cum revera sit om-